
O. Nicolaides

(Diss. ebrœo-philologica

de קְשִׁיטָה


Hafn., 1691.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

1,-423.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 018141

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

בשם אלה ישראל

DISSERTATIO
EBRÆO-PHILOLOGICA

De

קְשִׁיטָה

qvam

Favente Deo Optimo Maximo

&

Conſentiente Nobiliſſimo Facultatis Philoſophicæ

DECANO

Sinceræ Disqvirentium Cenſuræ

In Auditorio Collegii Valchendorphiani

Submittit

OLIGERUS NICOLAIDES

Defendente Lectiſſimo Juvene

OLAO JACOBI RESENIO

Ad diem 23 Decembr. horis a. m. ſolitis.

1022

HAFNIÆ, Literis Joh. Phil. Bockenhoffer, Reg. Majeſt. & Univerſit. Typogr. Anno 1691.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

APPROBATIO.

Oſtendit in hac Diſſertatione Præſtantiſſimus Philoſophiæ Baccalaureus locuples ingenium & partæ hactenus eruditionis egregium fructum.

CASP. BARTHOLINUS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

Juva Jehovah!

Speciosiſſimam eſſe mortalium oculis pecuniam, facillimèq; animos in ſui allicere amorem non immeritò *Gallus* fatetur *Gyges*; Qvodnam enim eſt illud aurum, qvod ſuum non ſentit amatorem? Qvænam illa moneta, qvæ ab uno in terram projecta, ab altero hilari non excipitur vultu? Divitiarum avido arma oſtende, non ſumet, ferrum enim ſunt, argentum ne credideris; nam ſi tradas cupienti, innoxias diu manus ab illo non ſervabit. Ita pecuniæ invaluit amor; ut vix amplius commerciorum vitæ gratiâ ſed ſui ipſius cauſâ ab avidis habendi hominibus qværatur, qvorum præcipuum vitæ animiq; pabulum & oblectamentum pecunia eſt; qvâ deficiente deſpondetur plerumq; animus, atq; alacritas exſpirat; Audi ea de re ſententiam lepidiſſimi Poëtæ Timoclis

Ψυχὴ βροτοῖσιν αἱμά τ' ἐςὶν ἄργυρος
Τȣτονὶ σῶρον ȣ̓κ ἀθροίζων ἀθρόον
Πλάζει θανόντος ἀνδρὸς ἐν ζωοῖς σκιά.

Eſt ſangvis atq; ſpiritus pecunia
Mortalibus, qvæ nulla cui ſit copia
Vivos per errat inter umbra mortui.

Atq; hinc eſt, qvòd Cicer: in Ant: de Græcis dicat, *Græci omnes vias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ cauſâ faciunt.*

Nec tamen legitimus propterea ejus uſus tollitur, qvòd in abuſum apud plerosq; degeneraverit; Commodum enim humanæ vitæ inſtrumentum eſt, excogitatum, poſtqvam ſimpliciſſimum

 mum

mum illud mercaturæ genus, qvod mercium fiebat permutatione, in deſvetudinem abiit, unde *Horatius* libr. 1. Serm. Satyr. 1. 73. inqvit.

Neſcis qvid valeat numus, qvem præbeat uſum

Et Magiſter ille morum Cato libr: 4. diſt. 5. *Dilige denarium.* Nam cum alter alterius non opus haberet mercibus, moneta, qvæ pretium rei ſuppleret, opportunè eſt inventa; Atqve eam ſiqvidem affert utilitatem, maxima Principum cura ſemper fuit, ut illa probæ eſſet notæ & iconem haberet ſuum; Plerumq; igitur vel inſignibus, vel effigie Imperatorum ſignatur, ut non incommodè qvidam ænigma Menalcæ Virgil. Eccl. 3. 106. *Dic qvibus in terris inſcripti nomina Regum*
Naſcantur flores?

de numis ipſis, vel auri argentiq;, in qvibus ratione materiæ fiunt, fodinis interpretatatus ſit, Et hoc non apud Romanos ſolùm, ſed & Græcos aliasq; gentes, vide Coripp: Grammat: de laudibus Juſtini lib. 4.

Hinc vetus argentum formas ſpeciesq; novatum
In varias, ſculptum titulis preſſumq; figuris
Excelſis portant humeris, magnisq; laborant
Ponderibus, ciſtæq; graves funduntur in unum.

& Senat: in *formula Comit: ſacrarum largitionum* libr. VI. Epiſt: 7. „Hanc libertatem aliô decores obſeqviô, ut figura vultus „noſtri metallis uſualibus imprimatur, monetamq; facias de no„ſtris temporibus futura commonere ſecula. Qvæ cum ita ſint, egregia ex numis non in commerciis ſolùm utilitas, ſed & in hiſtoriis haurienda ſcientia teſte *Petro Firmian: Agathonem ita „in ſeculi Genio alloqvente*, Diſſert: 1. pag. 13. Plurimorum „Principum numos vidiſti Agatho, ſed forte hæc ingeniorum mo„numenta, mutuamq & fidelem variæ ætatis hiſtoriam in his „operibus non advertiſti. Sub Auguſto Artifices etiam auguſti „expreſſerunt in ære non indignos tanto Principe vultus; Nec hæc

apud

apud cœteras *Nationes* ita uſu fuerunt recepta, qvin & apud *Iſraeliticam gentem* ipſi Deo in peculium electam valuerint, non qvod libera adhuc & in ſervitutem non redacta habuerit numos formâ viventium, hominum vel pecudum impreſſos, tales enim niſi ſuppoſitii à nullis hactenus ſunt viſi, habuit tamen eosdem vasîs, plantîs ac arboribûs ſignatos, non alium certè in finẽ, qvàm ut tum characteres & Icones eſſent qvaſi Hieroglyphica, & de beneficiis iſti populo à ſummo Numine præſtitis teſtarentur, tum ut iisdem qvoq; in commerciis cum remotiſſimis aliarum Provinciarum incolis commodiſſimè uteretur, qvorum qvidem *Ebræorum numismatum* plurimas enumerare ſpecies tam aureas & argenteas qvàm æneas facillimum eſſet; Noſtri tamen hac vice ſolùm eſt inſtituti, unicam illam, multisq; dubitandi cauſam præbentem monetam קשיטה dubiîs, evolutam & liberatam, qvantum noſtrarum eſt virium per Θέσιν & Ἀντίθεσιν repræſentare, qvod dum molimur, gratioſam Jehovæ noſtri πρόστασιν devotîs exoptamus ſuſpiriis.

Sit itaq; ξὺν Θεῷ παλάμᾳ.

Θέσις.

קְשִׂיטָה monetam tam auream, qvàm argenteam, priſcis Orientalibus uſitatam ſignificat, cujus certa demonſtrari forma, aut pretium vix poteſt.

Ἔκθεσις.

Dixiſſe non ſufficit ſed probaſſe vulgatiſſimum qvorundam eſt effatum; qvod diligentius perpendentes, ne ſit aſſertio no-

ſtra arena ſine calce, domusve nulli innixa fundamento; accingamus nos ad probationem Theſeos, ubi ſtatuimus

I. קשיטה monetam eſſe; Cum itaq; nomina plerumq́ ſint rerum σχήματα, unde *nomen* qvaſi *novimen* à *noſco* derivat Feſtus, qvod notitiam faciat, nam per id, qvô qvicqvid nominamus agnoſcitur; Et Cicero de Fin: *Nomina*, ait: *ſunt tanqvam rerum notæ*; evolvenda omnino prima fronte erit origo nominis, qvam Græci ἐτυμολογίαν vocant; Originem illam τῦ קשיטה alii qvidem Arabicam, alii Chaldaicam dicunt; ſed ad cognatas non recurrendum eſſe lingvas putamus, ubi radix poteſt in Ebræâ haberi;

Sit itaq́ קשט firmitatem certitudinemq; ſignificans, qvod ipſum aſſertam egregiè roborat ſententiam, qvaſi קשיטה, id eſt, *moneta* ſit ſignum contractus mutui & firmamentum.

Negant eqvidem Pagninus in *Theſauro lingvæ ſanct:* col: 2562. Pineda *in Job:* pag: 1188 & Malvenda *in Geneſ:* pag: 190., hanc eſſe poſſe illius radicem, rationem addentes mediam literam radicalem eſſe ש in una & ש in altera. Ecqvis verò lingvâ illâ vel mediocriter imbutus non novit literas ejusdem organi inter ſe ſæpenumero permutari; Videantur ea de re Grammat: *Clod:* Theſ: *Buxtorph:* Method: Ebræa *Pfeif:* &c; qvid obſtet igitur, qvò minus & hic ש in שׂ mutetur, cum una eademq; ſint litera variatô ſolùm punctô.

קשט ergo eſt *veritas*, *ſinceritas*, *firmitas*, *certitudo* Pſal. 60. v. 6. Prov. 22. v. 21. Chaldæis קשוט idem ſignificat, unde משחתא דקשות *ſtateræ veritatis* & קסטין דקשוט *ſextaria veritatis*, id eſt vera proba & certa; & קשיט pro vero & ſincero haberi in Paraphraſtis teſtatur Samuel Bochard: in *Hierzoico.* Qvoniam autem veritas probæ attributum eſt monetæ, ſive materiæ, ſive ponderis ratione, potuit numus qvidam קשיטה à קשט dici, qvòd maximè eſſet ſincerus ex auro & argento puriſſi-

riſſimo cuſus, vel qvòd in eo pondus rigidiſſimè obſervaretur, velut מנה maneh vel minah à מנה vel מנא, *numeravit*, *computavit*; & שקל à שקל *ponderavit*, *appendit*; ſic קשיטה à קשט qvòd probus eſſet & ἀκίβδηλος עבר לסחר Gen: 23. 16. moneta commercialis, gangbar Mynt/ gængſe i Kiøb/ ut opponeretur *adulterinæ* מטבעי שקר *moneta falſitatis* dictæ.

קשיטה monetam eſſe probat (2) Conſenſus omnium ferè Ebræorum, *Amam: Reuchlin: Cajet: Steuch: Lippom: Förſt: Junii*, *Tremell*: &c., qvorum nomine unicum illud Ariæmont: in *Tubalcain* pag: 16. ſuffecerit adducere, *Ratio*, inqvit, *ipſa & doctorum ſententiæ docent* קשיטה *numum fuiſſe*; præter Pontificios qvosdam, qvi vulgatæ magis verſioni qvàm veritati & fontibus addicti ſunt; Eſt tamen & inter ipſos Eugubin: qvi cum numum eſſe dicat, miſerè à ſociis propter defectionem à vulgata vapulat; Coccejus in *Iob*. pag: 567. & Pelican: *in Geneſin* p. 44. dubii, hærent, cuinam parti faveant; Sed conſulantur & Lexica *Buxt: Schindl: Pagnin:* aliorum.

(2) קשיטה monetam eſſe diximus tam auream qvàm argenteam. Occurrit hæc vox in tribus S. Scripturæ locis (1) Gen: 33. 19. *Et emit Jacob portionem agri in qva tentorium fixit ex Hemoris Sichemi Patris filiis* במאה קשטה centum Keſitah. Extat (2) Joſv: 24. 32. ubi eadem fere verba, *& oſſa Ioſephi, qvæ ſecum ex Ægypto attulerant Iſraelitæ; ſepeliverunt in Sichem in portione agri, qvam emerat Iacob ex Hemoris Sichemi Patris filiis* במאה קשיטה. Reperitur (3) idem vocabulum Job: 42. 11. ubi de Jobo dicitur, *qvòd, poſtqvam Deus ipſi rurſus benedixerat gratulabundi ad eum venerint amici & conſangvinei* ויתנו־לו איש קשיטה אחת ואיש נזם זהב אחד׃ Prior locus cum

ſecun-

ſecundo coincidit, ibiq; argenteus, ſed poſteriori loco aureus numus intelligendus erit.

Argenteum primis in locis ſignificari numum palam eſt ex loco Novi Teſtamenti parallelo Act: 7. 16. ubi hac de emptione ſermonem facturus Stephanus dicit: ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου, id eſt *pretiô argenteô*, numis argenteis.

Excipiunt ſtrenui vulgatæ verſionis defenſores *Cornel: à Lapide*, *Iohan: de la Haie*, *Leonhard: Marius*, aliiq; pretio
„ argenteô idem eſſe ac pretiô juſtô, nomine enim argenti intelli-
„ gi dicunt omnes opes, qvæ ſitæ olim erant in bobus & pecoribus; Unde & pecunia à pecore ſive pecu dicta, & primum æs notâ pecudis ſignatum teſte Plutarcho in *Poplicol:* & Plin: libr: 33. c. 3,
„ ideoq; pecuniæ nomine non modò numi, hoc eſt numerata pe-
„ cunia, ſed omnes res tam ſolidæ qvàm mobiles, tam corpora,
„ qvàm jura continentur.

Reſp: Sed ut in aliis, ita in hoc etiam loco alienum Scripturæ affingunt ſenſum Cathedræ Romanæ Sectarii, qvæ enim hìc eſt neceſſitas, ut τὸ ῥητὸν verborum deſeramus, & qværamus διάνοιαν.

Qvod de pecuniæ affertur derivatione valet qvidem apud Latinos. non verò hìc apud Græcos, non eſt in Textu tale vocabulum, qvod illam habet derivationem, Monſtretur talis ἀργυρίου origo, Nec valet ſeqvela, Primum æs apud Romanos & Græcos nota pecudis ſignatum, Ergo & apud Ebræos; Nulla Connexio.

Et licèt ſint, qvi Protomartyrem ibi non de emptione à Jacobo ſed Abrahamo facta loqvi contendunt; Monſtratum tamen eſt à variis accuratiſſimis viris, ſermonem ipſi eſſe non de emptione Abrahami ſed Jacobi; qvorum hìc afferre argumenta ſupervacaneum duxi.

Itaq; centum קשיטה, qvibus ante memoratum τὸ μνῆμα emptum eſt, non fuêrê centum pecora vel agnæ, niſi aureas & ar-

argenteas Mandrabuli agnas intellexeris, & oves, qvas in crumena ſe condidiſſe dicit Strabax in *Plauti Truculento*

Ego propere minas oves hâc in urbe detuli;

id eſt ovium venditarum pretium centum Keſitah.

Diximus monetam eſſe tam auream, qvàm argenteam, ſi ſolam ſtatuamus argenteam, qvid ſic de loco Jobi fiat dicit Pheiſ. *in Dub: vexatis.* Auream itaq; apud Jobum ſignificari patet inde, qvod זהב non modò ad נזם ſed & ad קשיטה ratione ſenſus retrahatur, adeoq; reſpondeat זהב illud duobus ſubſtantivis ut verti debeat. Et dedit ipſi qvisq; monile aureum, & Keſitah aureum. Congratulationi enim iſti aurum potius, qvàm argentum conveniebat; præſertim cum argenteus tanti valoris numus ipſis forſan defuerit, qvi Viro ſine contumelia potuiſſet offerri, vel ut monili aptiùs reſponderet. Conſent: Biblia trium Sacerdotum, ubi ita in Scholiis Marianis Tom: 1. pag. 50. & 607. *Keſitah fuit pecunia, & quidem aurea, & magni ponderis.*

(3) קשיטה ſtatuimus monetam eſſe priſcis Orientalibus uſitatam. Non enim Ebræis ſolùm, ſed & Chaldæis & Arabibus in uſu fuit & familiaris, qvod ex circumſtantiis locorum, in qvibus de illa fit mentio, clarum eſt; Vid: Vaſerium de *numis* & Brerevod: de *pretio numorum.* Fuit priſcis Orientalibus uſitata, Citerioribus non viſa eſt temporibus; ſi enim hoc; cognitus qvidem & valor & forma, ut non tanta de iis dubitandi daretur cauſa.

(4) קשיטה monetam eſſe affirmavimus, cujus certum demonſtrari pretium vix poteſt; Confirmant hoc omnes illæ Judæorum ſen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

tentiæ, qvæ pro certo ejus adſtruendo valore à variis afferuntur, probant enim ſaltem numum fuiſſe, non verò certum, qvod plenius ex Antitheſi patebit. Confirmat hoc Mart: Brixian: Arca Noæ pag. 149. *Keſitah* inqvit *numus eſt, cujus pretium ignoratur*, Oſiand: in Bibl: *Emit numis*, ait de Jacobo, *qvanti verò pretii fuerit talis numus incertum*; Hofmann: in Lexico univerſali Tom: 2. pag. 963. aliiqve.

Ἀντίθεσις.

קשיטה non monetam, ſed agnum vel margaritam ſignificat, & ſi vel monetam; talem tamen, qvæ agni ſignata uit figura, & ejusdum cum Gerah & Agorah valoris, hoc eſt, viginti tales numi æqvipollerent ſemiunciæ argenti vel ſemiſſi Thaleri Imperialis.

Ἔκθεσις.

Object: I.

קשיטה per agnos Latinus vertit interpres is, qvi à vulgo nomen habet; Verterunt & LXX ἑκατὸν ἀμνῶν, Conſpirat Chaldæus Paraphraſt: &c. Favet & huic opinioni, qvòd Veterum in pecoribus maxima conſtiterit poſſesſio & univerſa ſubſtantia, juxta ſententiam Tityri Maroniani Eccl: 1.

Namq; fatebor enim dum me Galatea tenebat
Nec ſpes libertatis erat nec cura peculî.

id eſt, notante eruditiſſ: Schrev: Nec ſperare poteram libertatem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

rem in oppreſſa Civitate, nec habere curam patrimonii; Vel qvod Ebræis ac Cananæis omnes divitiæ à gregum numero putatæ ſint, Ut & tritum illis fuerit temporibus ante pecuniæ uſum excogitatum negotiationem permutatione mercium exercere, Prout *Tacitus de Germanis interioribus retulit libr: de moribus Germ:* Proximi ob uſum commerciorum aurum & argentum in pretio habent: interiores ſimplicius & antiqvius permutatione rerum utuntur; Confirmat de priſcis Britannis idem *Solinus* cap: 35. Numum, inqvit, refutant, dant res & accipiunt, mutationibus neceſſaria potius, qvàm pretiis parant; & Homerus *Iliad:* κ cujus carmina Alciat: *libr:* 2. *Prætermiſſ:* ita vertit de Græcorum exercitu vinum ex Lemno advectum emptitante,

Cæſarie inſignes redimebant vina Pelasgi
Ære alii, ferro qvidam lucente, bovillis
Tergoribus alii, bobus pleriq;, ſed ipſis
Manubriis alii.

Imo in Indiis hodieq; rerum permutatione mercaturam exerceri notiſſimum eſt, Hinc colligunt Jacobum, ut qvi ditior animalibus, qvàm numis fortè fuerit, agnos non numos pro agro expendiſſe, Vid: *Pererium*; *Villalpand:* &c.

Reſp: Sed pugnat (1) hæc verſio cum verbis Stephani in Theſi allatis, nam ſi emit pretiô argenteô, non emit agnis, ſi emit agnis, non emit. ſed merces cum mercibus commutavi:, Talis enim mercatura permutatio diceretur.

Nec (2) קשיטה agnus eſt, nec (3) probari poteſt, Judæos cuſos eo tempore numos in uſu non hahuiſſe; Dudum enim ante pecunia ipſis in mercaturis erat familiariſſima, veras habebant emptiones, qvæ numis fiebant vel appenſis vel numeratis, Cap: 23. Gen: legimus *Abrahamum pependiſſe Ephroni pro caverna duplici qvadringentos ſiclos argenteos*; Imo & habuiſſe *ſervos* ἀργυρωνήτους Geneſ: 17. 12. 13. & poſteà

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

Geneſ: 42. *filios Jacobi in Ægyptum deſcendiſſe cum pecunia ad emendum frumentum*, adeoq; non dubitandum, qvin ſignati tum extiterint numi; Cur igitur fingamus alium præter neceſſitatem commutandi modum.

Sed & ad locum *Job:* 42. 11. excipiunt קשיטה ibi egregiè „ſatis & apprime agnum ſignificare poſſe, Uſitatum inqviunt „tam eorum qvàm noſtro ævo; ut amici & novorum Conjugum „noti domum eorum eâ minus ornatam tempeſtate variis modis „inſtruant, alii pecuniam, alii domeſticam eamq; variam ſupel„lectilem liberali conferant & amica manu; Idem faciunt, cum „ornamenta domus, & alia neceſſaria vitæ ſubſidia incendio ſeu „naufragio perierunt; In hoc rerum ſtatu verſabatur Jobus, cum „ſanitate reſtituta domum invenerit ſpoliatam & vacuam; qva„lem infenſiſſimus hoſtis Diabolus reliqverat, qvare amici illi, „qvi anteà ſvadente Diabolo longè receſſerant, ſecundum *qveri„moniam ejus* c. 19. v. 13. 14. Hi poſtea redierunt & ſpoliatam „inſtruxêre domum, deditq; unusqvisq;, qvod in caſu ſimili re„ceptum erat conſvetudine & qvaſi legitimum, qvod ipſis erat „ad manus, *Inaurem & ovem*, Ovis peculio in priſtinum ſtatum „reſtituendo uſui eſſe potuit; Ergo dederunt ipſi ovem cum In„aure, Legimus enim poſteà ipſum tot millibus ovium à Deo „eſſe benedictum, *qvaſi pauciſſimæ illæ oves* tam exiguo tem„poris tractu *miraculoſè fertiles* in tantum excreviſſent numerum; Vid: *Oleaſt: in Geneſ: Sanct:* & *Thom: Aqvin: in Jobum*, cujus ultimi verba ejusdem argumenti & materiæ, ſed paululum „variata & hic libet afferre, Adhibuerunt, ait de amicis Jobi; ſub„ventionis remedium contrà extremam inopiam, & qvia amiſe„rat & animalia in campis, & ſupellectilia in everſione domus, „ideò utroq; ei ſubvenerunt.

Reſp: Verùm fallunt & falluntur; Audimus enim ante adventum amicorum congratulationem exhibentium omnia qvæ Jobus habuerat anteà vel pecora vel peculia duplicia ipſi eſſe à Deo

reddita c. 42. v. 10. Ergone peculium ſat abundans ante adventum cognatorum ut oves ideo ipſi non profuerint ad illud reparandum.

Imo & hos Romanenſes bellè ſatis refutat Pelican: in Job: “
Quod ait ovem ſinguli dederint; qvod alii obolum vel numum “
interpretantur, ad provinciæ morem accipiendum, non qvod “
oblatione hujusmodi fuerit Jobus velut mendicitate ditatus, “
qvod ad magnificentiam Dei & laudem viri non usq; adeò perti- “
nuiſſet; ſic inauris aurea potius ad ſplendorem ejus, non ad re- “
ſtitutionem perditæ ſubſtantiæ ſpectavit, qvam non amici ſed “
Dominus reſtitutam curavit; Conſentit & *Bolducius in Job:* “
Tom: 2. pag: 1001, & *Vulgata cum comment: trium Sacerd:*
Tom: 1. pag: 50.

Object: II.

קשיטה margaritas ſignificare contendunt alii, qvaſi à קשט *ornare*, inde קשוט *ornamentum*, qvod ſtrictiore ſignificatu *margaritam* denotat; ſed nullum afferunt ſententiæ ſuæ ſtabilimentum; nec video, ſecundum qvas Regulas Grammaticales קשיטה à קשוט formari poſſit. Vide *Harmon: Bibl: Valth: Druſium in Pentateuch:* &c.

Object: III.

Alii ut Leusdenius in *Philol: Ebr: mixt:* Diſſert: *de numis & ponderibus*, Hottingerus de *numis Orientalibus* p. 110. Vaſer. *de numis* &c. קהיטה agnum eſſe dicunt; & ſignificare per metonymiam numos agni imagine ſignatos, qvod probare conantur

(1) *Exemplis aliorum populorum;* Non enim inſolens eſt in- “
qviunt numos imagine beſtiarum ſignari, & ſimul à figura qvâ “
ſignati ſunt nominari; Sic apud Athenienſes numus bovis imaginem “

„ginem referens βοῦς dicebatur, unde proverbium βοῦς ἐπὶ γλώττης „de eo qvi ἐπ ἀργυρείῳ ἐσίωπα; Helveti corvos & urſos numis ſuis „inſculptos, *numosq; inde appellatos habent;* Et ναοὶ ἀργυροῖ Ἀρτέ-„μιδος Actor: 19. 24. numi fuêrê, ab imaguncula celeberrimi „templi Epheſini, qvod repræſentabant, ita dicti, typum habet Vaſer: de *numis* pag: 89. qvi etiam mos gentium in noſtra usq; promanavit tempora, Hinc Thaleri Leonini & aliæ ſpecies, aliarum pecudum imagines habentes; Galli etiamnum denarios agno ſignatos habent, typos Du Fresne *exhibet in Gloſſar: ubi de moneta agit* Tom: 2. pag. 618. 630.

Reſp: Sed dubium certè eſt an קשיטה agnum ſignificaverit unqvam. Nulla ejus poteſt dari ratio, qvæ vel firmam habeat veri ſpeciem, nec ullum illius ſignificationis veſtigium aut in Ebræa aut in cognatis lingvis ſe deprehendere poſſe aſſerunt *Pheif: & Bocard:* Omnibus in locis Biblicis, ubi de *ovibus* & *agnis* ſermo eſt, nempe de eorum vel *paſtu*, vel *proventu*, vel *mactatione*, nusqvam קשיטה occurrit ſed vel רחל רחלים Gen: 32, v. 14. vel כשב כשבה Levit: 5. v. 6. vel כבש vel שה vel aliud aliqvid; Sanè in tanta Synonymorum copia non hæc vox fuiſſet omiſſa, ſi aliud qvid præter monetam ſignificaſſet; adeoq; ſola Interpretum autoritas rem non conficit, Non enim attendendum, qvis dixerit, ſed qvid dixerit; Nec multitudo errantium parit errori patrocinium, Unde probabiliter colligo קשיטה nunqvam à Judaica gente ea uſurpatum ſignificatione, ſcilicet ut *agnum* denotaret; Qvô fundamentô ſublatô ruit tota conjectura קשיטה fuiſſe numum agni imagine ſignatum.

Imo קשיטה agnum non eſſe fœminina demonſtrabit terminatio, Ea enim ratione ſeqveretur Jacobum pro agro ſolas dediſſe agnas Jobumq; fœminas absq; ullo mare accepiſſe, qvod vix credibile, Solitum qvidem Sacris eſt Scriptoribus, ubi de animalibus mentio fit, *genere maſculino* complecti *fœmininum*, non vice verſa *fœmininum* comprehendere *maſculinum* cum maſculi-

linum genus dignius ſit fœminino; Itaq; ſi de ovillo in allatis locis ageretur fœtu, eas qvidem voces adhibuiſſet Scriptura, qvæ mares potius deſignaſſent.

(2.) Producunt πραγματείαν Jacobi, & *vitæ genus paſtoritium*, Nam Paſtor ajunt, ſi pecoris imaginem imprimat numis ſuis, nihil mirum, alia enim ipſi non ſunt inſignia, nec aliud fortè Symbolum niſi qvod gregem redolet.

Reſp: Mirabilius certè eſt audire Paſtorem jus cudendi numos habuiſſe ſub alieno præſertim Imperio; Non enim cogitandum Jacobum, qvi ſervitio Labanis nuper elapſus & e Meſopotamia in Canaan reverſus erat, ipſum numos aut in ſervitio aut itinere cudiſſe, probabilius, qvòd monetam Regionis iſtius, ubi erat, aut fuerat, uſurpaverit, qvàm qvòd propriam ſignaverit.

Et ſi vel maximè probari, qvod tamen vix poteſt, Jacobum illam cudiſſe pecuniam, dicentibus Rabbinis *qvatuor ſolùm fuiſſe, qvorum moneta in mundum exiit, ſc: Abrah: Joſv: David: & Mardoch:* Hôc inqvam poſitô, non conceſſô, non tamen ſeqveretur inde, qvod omninò bovis vel ovis figuram ipſi imprimendam curaſſet, qvid enim id aliud erat, qvàm populo Idololatriæ deditiſſimo idolis colendis facilem patefacere aditum, eâ maximè tempeſtate, qvâ pro Diis ab Ægyptiis colebantur, ſecundum illud Taciti. *Ægyptii plerumq; animalia, effigiesq; venerantur compoſitas, Judæi mente ſolâ unum Numen; Ideo nulla habent urbibus ſuis nedum Templis ſimulacra, Non Regibus hæc adoratio, non Cæſaribus hic honos;* Confirmat ille factum eſſe, qvod à Numine injunctum Exod. 20. v.4. Hinc imagines aliâ atq; aliâ ratione factas Idololatriæ cauſas aſſerit *Sapiens* cap. 14. Veriſimilius ergo, ſi vel numos Jacobus cudiſſet, eum tantæ pietatis virum aliud aliqvid, qvod verum Dei cultum ſaperet, illis impreſſiſſe, qvemadmodum & hodie videmus *Siclos* qvosdam à Judæis qvondam *cuſos mannæ urnulam*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

lam & florentem Araonis *virgam* duplex illud Altiſſimi beneficium perpulchrè repræſentare.

Object: IV.

Pro certo iſtius numi valore adſtruendo affertur dictum Rabb: Achib: *in Tract: Talmud:* hæc verba proferentis, Cum peregrinarer per Africam, audivi illic מָעָה nominari
„ קשיטה, hinc diſcimus inqviunt eſſe numum, qvod facilè
„ conceditur, ſed præterea ejusdem eſſe valoris cum Gerah & A-
„ gorah; nam גרה & אגורא valent מעה, Ergo qvæcunqve con-
„ veniunt in uno tertio etiam inter ſe conveniunt.

Reſp: Sed vix probare poſſunt illi מעה hic præciſè & neceſſariò obolum denotare. Ipſi vertunt מאה per numum, Sciant itaqve non omnem numum eſſe obolum, vocem verò מעה plerumq; ſumi pro numis & moneta in genere apud Ebr: ſatis conſtat. Hinc *Eſth:* 9. 22. ומעתא דצדקתא *Et pecuniam vel numos Eleëmoſynæ*, & *apud Rabb:* מעות רעות *numi mali* vel *reprobi*, falſch Myntt; מעות תיפות *numi pulchri*, *boni;* Item *ſemper homo tertiet numos ſuos* מעותיו, id eſt numorum ſuorum tertiam partem in fundum impendat, tertiam in negotiationem, & tertiam retineat in manu ſua; Ex his jam ſatis patet מעה & à Scriptoribus Sacris & à Rabbinicis plerumq; pro moneta in genere uſurpari; & non præciſè ſemper pro obolo in ſpecie *Vid:* Lexica *Buxtorph: Pagn: Mercer:* aliorum.

Definiri itaq; non poteſt, qvænam propiè numi ſpecies קשיטה fuerit, & qvanti valoris, fuit tamen numiſma non exigui pretii vid: *Theol: Exeg: Friedleb:* Tom: 1. pag: 582.

Qvod per obolum explicant illi, ridiculum omnino videtur, hâc enim ratione (1) agrum ſuum Jacobus *centuſſe circiter* emiſſet; & (2) Amici Jobi minutam illi ſtipem ſinguli contuliſſent, *aſſem* ſcilicet *unum;* magnum contumeliæ genus!

Ob-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

Objiciunt autem ad (1) Perexiguô hoc pretiô ſub ævum illud qvô viliſſimè omnia vel emi vel permutari poterant, tam exiguam agri portiunculam emi potuiſſe, incredibile non eſſe.

Reſp: Non omnia vili adeò pretiô eo tempore conſtitiſſe, ex emptione Abrahami antea facta videmus, qvi 400 *Siclos argenteos pro extremo illius agri fundo ſolvit, qvem in ſepulturam à filiis Heth emit*, Nec eſt, qvòd dicant parvam fuiſſe agri portiunculam; fuit enim tanta, qvanta ſufficeret Jacobo, non ad tentorium ſolùm ibi ponendum & altare ædificandum, ſed etiam ad pecus alendum, qvô inſigniter abundabat, Qvis itaq; audivit *agrum*, & qvidem tam numeroſæ familiæ deſerviturum centum obolis emi aut vendi, cum *agellus tantilli pretii* ne unico qvidem jumento ſeu pecori alendo poſſet ſufficere.

Objiciunt ad (2) qvod amici Jobi amicitiæ ſolùm teſſeram apud cognatum voluerint deponere, cujusmodi donaria non ex qvantitate vel magnitudine pretii, ſed animo potius ac voluntate offerentis æſtimantur.

Reſp: Qvænam foret amicitiæ teſſera, ſi dives obolum pro pignore offerat ditiori? Qvænam eſſet convenientia inter *obolum & monile aureum*? Obolus ſanè vilius eſt munuſculum, qvàm ut tam nobili conveniat congratulationi, vel qvadret cum altero ab eis oblato munere magnificum qvid præ ſe ferente, hinc illud & valeat.

Magnis magna decent ——

Mendicis datur obolus, non *amicis*, & cum longè ante illud tempus alias monetæ ſpecies cuſas legimus, cur minutiſſimam amico offerrent, cum majoris copia ipſis eſſet; Applicari enim ad eorundem numos ſcitè poteſt qvod Fannius *de Athenienſium* refert,

Eſt nihil his obolôve minus, majusve talento.

Vel Objiciunt alii aliter, Deus Jobo benedixit antea, Ergo obolo qvidem contentus erat; non enim multum opus habuit,

 Fu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

Fuerunt ipſi *mille paria boum, qvatuordecim millia ovium, ſex millia Camelorum* &c. qvorum pretium ad numos redactum ingens eſſe potuit.

Reſp: Munerum prolatio vel miſſio uſitatiſſima illis etiam ſeculis fuit apud Orientales; ut Regibus, ſummæ authoritatis viris, & amicis etiam ditiſſimis ſalutandis munera obtulerint non ignobilia & minima ſed nobiliſſima & maxima; Jacob Fratrem Eſavum *licet ſat opum ille haberet*, muneribus tamen, iisq; ex optimo grege ſelectiſſimis prævenit; Idem Joſephi Fratres facerunt, qvando ad eum adhuc ignotum tanqvam ſupremum Ægyptiorum Præfectum venêre, qvod etiam poſterioribus temporibus uſitatum ſæpe in ſacris legimus. Magi Chriſtum adoraturi venientes honorifica ei munera obtulerunt. Juxta qvem ritum *nefas erat vacuum coram Deo apparere* Exod. 23. v. 15. *Coram* qvoq; *Perſarum Rege ſine munere comparere iniqvum judicatum eſſe* teſtatur *Seneca epiſt:* 17. idem feciſſe Æneam canit Virgil: cum Latino legationem deſtinaret Æneidum libr: VII. v. 152. & ſeq:

Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet ramis velatos Palladis omnes
Donaq; ferre viro, pacemq; expoſcere Teucris.

Et alibi Æneid: 12. v. 519. — *Nec nota potentum*
Munera ——

Itaq; concedo qvidem Jobum nullius fuiſſe indigum, Non tamen ſeqvitur *amicos viliſſima ipſi munera attuliſſe*, Nec enim Salomon donis Reginæ Sabæorum indiguit, cum fuerit ipſe omnium rerum maximè abundans, divitiisq; totius orbis Reges ſuperaverit, *Auri Hieroſolymis illius ævo non minor erat copia qvàm lapidum, nec cedrorum minor ubertas qvàm Sycomororum campeſtrium* 1. Reg. 10. Ergone contemnenda & abjecta ipſi munera obtulit? Nulla certè conſeqventia, hoc ſi feciſſet, majo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

jorem ſapientiſſimi Regis non iniiſſet gratiam, qvàm qvæ ipſi Salomoni pro donatis Tyriorum .Regi viginti Galilææ oppidis habita eſt, *Hiram cum ad illa viſenda profectus eſſet, non placuerunt ipſi, Et qvalia ſunt, inqvit hæc oppida mi Frater, atq́ inde à diſplicendo & improbando, terra illa, terra Chabul in hunc usq́ diem vocatur* 1. Reg: 10. Nec Saul in Regem electus adeò pauper fuit, ut muneribus ſibi ſubjectorum carere non potuerit, vocantur tamen *filii Belial:* id eſt impii, contumaces & maleferiati, υἱοὶ παρανόμων, filii transgreſſorum legis, qvi deſpicientes ipſum ei dona non attulerunt, qvæ viliſſima certè eſſe non debebant, 1. Sam: 10. v. 27. Et huc apprimè qvadrat proverbium, *Præſtat datori tantum donare, ut damnum potius & jacturam exinde ſubeat qvàm contumeliam.*

Hæc ſunt illa, qvæ juxtà modulum ingenii penſitare hâc vice animus fuit, ſi omnia omnium delicato non arriſerint palato, ita ut ſuo nonnulla loco vel non accuratè poſita ſint, vel etiam omiſſa, excuſatas qvæſò benignus Lector noſtras in his ſacris habeat primitias,

Etenim

— *Non omnia poſſumus omnes.*

Qvod reliqvum eſt tribuimus humillimè

GLORIAM SOLI TRIUNI DEO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

ΠΆΡΕΡΓΑ.

1. Senex ſine Religione & adoleſcens ſine verecundia monſtroſi ſunt, non qvidem *corporaliter*, ſed tamen *mentaliliter*, vel *Ethicè* & *moraliter*.

2. Sex tantum ſunt Dialecti Græcæ Lingvæ; *communis* enim non eſt *talis*.

3. Origo lacerandi veſtes *à Jacobo eſt*, qvi cum filium à feris dilaniatum exiſtimaret, primus veſtimenta ſua rupit.

4. Vix cohærent illa Clariſſ: Leusd: in *Phil*: *Ebr*: *mixt*: *pag*: 389. ſc: Eſſeos omnia habuiſſe communia, *non tamen veſtes*, & *calceos*.

5. Saduceos, ſi à *Sadocho* primo hæreſeos illius autore derivaveris, ut *Arianos* ab *Ario*, *Pelagianos* a *Pelagio*, minus accuratè per duplex *d*, ſcripſeris.

6. Herodiani nullam conſtituebant peculiarem ſectam.

7. Amſancti valles apud *Virg*: *Æneid*: *libr*: 7. 565. alii qvidem qvaſi *Anſancti*, valde & ex omni parte ſancti explicant, ut *Servius*, *Schrev*: *Math*: *Mart*: & *Scaliger*, ſed malè, cùm non adjectivum ſed nomen proprium ſit, & qvidem lacus fœtidiſſimi, qvod è contextu patet.

8. Si-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

8. Siclus Judæorum fuit tam aureus qvàm argenteus.
9. Siclus fuit ſaltem unus, non verò *alius ſacer*, *alius profanus*.
10. Moneta à monendo eſt, qvòd *ſignis* in eam *impreſſis* de ſeculi, in qvo cuſa, *moribus admoneamur*.
11. Numus ſive à *Numa*, ſive à *numerando*, ſive ἀπὸ τοῦ νόμου vel νοῦμου vel νομίσματος vel νόμης vel νέμειν illum derivaveris & deduxeris, non tamen niſi per unum *m* ſcribi debet.
12. Pecunia omnis hodie mercaturæ rerumq; gerendarum ſcopus eſt &

FINIS.

Pereximio & Pererudito Præſidi
OLIGERO NICOLAIDES
Publicè Diſputanti die 23 Decembr:
ita
debiti honoris & Priſtini amoris
ἕνεκα
applaudit
J. D. ROSENDAL.

Sit multis numos numerandô ſumma voluptas
Volvant divitias mente manuq; ſuas.

Præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

Præſes at hìc numis non tam delectat avaris,
Qvàm qvòd de numis diſputet, ille ſtudet.
Scribere de numis ducit ſibi laudis haberi,
Ut, qvæ non unqvam viderit, inde ſciat.
Atq; ſciant omnes agnum non eſſe *Keſitah*,
Illa ſed Iſacidis vera moneta fuit.
Perge ideoq; tuum doctè defendere numum
Præſes, qvem ſolida dexteritate doces.
Applaudat Momus, melius niſi tradat & ipſe
Applaudant omnes, gratulor ergo tibi.

In honorem Præſtantiſſimi Præſidis
Amici Deſideratiſſimi

Auri cuſa ſui monſtrent numiſmata Græci,
Sit tua prima modò, Roma, moneta tibi.
Te fuit haud minor hîs unqvam Judæus Apella
Antiqvos numos jactat & ille ſuos.
Qvod ſatis egregiè Præſes peramice probâſti
Dum numum priſcis eſſe Keſita doces.
Gratulor inde tibi; ſtudiis voveoq; benignos
Porro ſucceſſus, qvos Deus ipſe dabit.

feſtinanter poſuit

G. A. TRÆSCHOV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1814